



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VII. Vtrum mixtio aqua sit de neceßitate huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

dubatur de aptitudine materiae, si fiat consecratio, species cum reuerentia sumendas esse.

ARTICVLVS VI.

Virum aqua sit vino permiscenda?

50.

Florent.
Trident.Can. In Sa-
cramentorum.Ambros.
Damas.Cōgruentia
cur aqua
vino ad-
miscetur.

AFFIRMAT, traditur à Concil. Florent. decreto de Sacramentis, Trid. sess. 22. c. 7. Alexandro 1. epist. ad omnes Orthodoxos, refertur can. In Sacramentorum, de consecratione, dist. 2. vbi plures alij canones videri possunt. Idem traditur in liturgia Diui Iacobi, vbi dicitur: *Christum accepisse calicem, permiscuisse ex aqua & vino*, vt videre est tomo 6. bibliothecæ sacrae in liturgia S. Marci, S. Basilij. Idem tradunt Patres Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. 1. Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14.

Varia huius rei congruentia assignantur à Flor. & Trid. suprà, D. Th. hinc, & alijs.

Prima est quod Christus credatur instituisse hoc Sacramentum in vino aqua mixto, vt patet ex liturgijs sanctorum Iacobi, & Basilij, ex epist. Alexandri 1. & Flor.

Secunda est quod apte conueniat representationi passionis Christi, in qua sanguis, & aqua ex eius latere fluxerunt.

Tertia, quod hæc mixtio optimè significet vnionem fidelium cum Christo capite, quæ vno tribuitur huic Sacramento, tanquam peculiaris eius effectus: nam populus per aquam representatur, in vino verò Christi sanguis ostenditur.

Ex quibus, & multis alijs Concilijs & Patribus patet Christum pro consecratione calicis vsum vino aqua mixto, nec audiendos eos, qui vel id negant, vel de eo dubitant.

ARTICVLVS VII.

Virum mixtio aqua sit de necessitate huius Sacramenti?

51.

Aqua non
est de ne-
cessitate
Sacramenti.
Prob. ex
Flor.
Trid.

CVM aqua ante consecrationem vino permisceatur, merito D. Thom. præsentis art. querit num ea permixtio ita sit necessaria, vt sine illa consecratio validè perfici non possit: ita enim sensibile Armacanum referunt varij authores.

Sed conclusio D. Thom. est negatiua, quæ est communis Scholasticorum, & certa.

Probatur, ex Trident. sess. 22. cap. 7. indicante eam mixtionem solum esse præcepti ecclesiastici. ex Florent. decreto de Sacramentis, quod postquam dixisset vinum de vite esse materiam (scilicet consecrationis calicis) addit: *cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*, quæ loquendi diuersitate satis insinuat mixtionem aquæ non esse de necessitate Sacramenti.

Confir. ex eo quod monens Armenos, vt reliquo orbi sese conforment in aquæ mixtione, nunquam insinuat aliter nihil effici. 3. in defectibus Missæ §. 7. De defectibus vini, docetur quod si post vini consecrationem aduertatur aquam non fuisse admixtam, ea non sit admiscenda, quia mixtio non est necessaria necessitate Sacramenti; & §. 2. dicitur confici Sacramentum, quamuis aqua non fuerit mixta.

Nec obstat quod multi Patres expressè doceant Christum consecrasse in vino aqua mixto; quia eo non obstante Ecclesia nos docet ipsa præxi huiusmodi mixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, nec vt talem à Christo adhibitam, & ex Christi facto non sumitur sufficiens argumentum ad ostendendum aliquid esse necessarium necessitate Sacramenti, nisi accedat autoritas Ecclesie declarantis id assumptum, tanquam necessarium; quod hic non cernitur, sed potius contrarium; quemadmodum, ex eo quod Christus consecravit in azymo, non potest aptè concludi, quod panis fermentatus non sit consecrabilis.

Obijciunt Cyprian. qui epist. 63. ad Cæciliam siue lib. 2. epist. 3. censet non posse solum vinum offerri, & si solum offeratur, nihil effici. Aliqui conantur eum explicare quod solum velit non posse offerri sine peccato; sed si discursus illius perpendatur, facile aduertitur eum existimasse hanc mixtionem esse necessariam ad valorem Sacramenti, ita enim censet nihil effici si offeratur solum vinum, quemadmodum nihil efficitur si offeratur sola aqua, & quemadmodum nihil efficeret qui tentaret farinam consecrare.

Dico ergo, saluâ reuerentiâ, quæ tanto Patri debetur, eius sententiam esse improbabilem, vt ex dictis patet.

DV BIVM

Virum mixtio aqua sit saltem de necessitate præcepti, & cuius?

QUOD prius, nostri temporis hæretici, vt refert Bell. lib. 4. de Eucharistia cap. 10. censent mixtionem aquæ cum vino pro consecratione calicis esse indifferentem.

Verum ex Flor. Trid. Alexandro 1. in superioribus citatis, constat eam non esse liberam. vide can. In Sacramentorum, de consecratione dist. 2. vbi dicitur: *non enim debet (vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; & can. cum omne, eadem dist. dicitur: calix Dominicus iuxta canonum præcepta vino, & aqua permixtus debet offerri, & cap. litteras, de celebratione Missarum, iubetur grauius puniri sacerdos qui inter cætera sine aqua celebrauerat.*

Ex quo patet hanc aquæ mixtionem non posse voluntariè, vel etiam ex negligentia omitti sine graui peccato; cum sensu communi Ecclesie hæc cæremonia sit gravis, habens magnam significationem mysticam.

Controuersia est quale sit hoc præceptum, diuinum, an ecclesiasticum?

Alensis 4. parte summa, quæst. 32. membro 6. Castro verbo Eucharistia, hæresi 7. Henriquez lib. 3. cap. 12. num. 4. & alij censent esse diuinum.

Scotus verò dist. 11. quæst. 6. §. ad secundam questionem, Sotus dist. 9. quæst. 1. art. 6. §. colligitur ergo, & plures alij, existimant esse humanum.

Quorum sententia est probabilior. 1. quia est magis conformis Concil. Trid. sess. 2. cap. 7. dicitur moneri deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aqua vino in calice offerendo miscerent. quamuis enim nihil veter id quod à Deo iubetur, etiam præcipi ab Ecclesia, modus tamen loquendi Concilij innuit præceptum esse à sola Ecclesia si enim

si enim agnosceret diuinum, non debuisset prætermittere, cum id ad redarguendos hereticos multum iuuisset.

Confr. Concil. post verba citata dicitur: *quod Dominum ita fecisse credatur*; quibus verbis indicat inter cetera motiua præcepti ecclesiastici esse Christi factum, scilicet citra præceptum, quod ipsum indicatur in Florent. 2. quia est magis conformis canonis, *cum omnes* qui est Iulij Papæ, ubi dicitur aquam debere permisceri in calice iuxta canonum præcepta, quibus verbis solum præceptum ecclesiasticum insinuat.

Sed quaeritur à quo sit institutum hoc præceptum?

Aliqui existimant ab Alexandro 1. epist. citatâ; verum ipsemet Alexander non obscure insinuat hoc præceptum esse antiquius, cum dicat: *non enim debet, ut à Patribus accepimus &c.* quibus verbis ostendit se non præcipere rem antea liberam, sed docere quid ex anteriori aliquo præcepto fieri necesse.

Verius ergo est hoc præceptum ab Apostolis profuisse, quod indicat Florent. asserens Romanam Ecclesiam à beatissimis Apostolis, Petro & Paulo edoctam, & reliquas Ecclesias tam Græcas quam Latinas ab initio nascentis Ecclesiæ id seruasse, scilicet ex obligatione, nam inde deducit Armenos non debere hac in parte à reliquo orbe discrepare: Apostoli ergo ad imitationem facti Christi Domini iusserunt in calice consecrando aquam vino permisceri.

Ex quo inferitur Ecclesiam posse hanc ceremoniam abrogare; nullo tamen modo; prætextu cuiuscumque necessitatis licet priuato sacrificium offerre sine aquâ.

Aduerte 1. aquam vino admiscendam debere esse naturalem, quia nomine aquæ solitariè sumpto ea solet designari, & ita interpretatur vniuersalis consuetudo; vnde vt D. Th. responsione ad 3. qui aquam rosaceam apponeret in calice, peccaret, & quidem grauiter.

Aduerte 2. hanc mixturem non debere fieri in dolio, aliove poculo profano, sed in calice, ita enim intelligit consuetudo Ecclesiæ, & can. *cum omnes*, citatus, declarat. Congruentia est quod hæc mixtio fiat per modum ceremoniæ sacræ, & sacram habeat significationem, quod non ita conuenit mixtioni factæ extra calicem.

Quoad tempus, seruanda cuique propriæ Ecclesiæ consuetudo: quibusdam locis miscetur sub initium Missæ, alijs post Euangelium post oblationem panis; infundi etiam debet post vinum, & quidem à sacerdote aut diacono vel subdiacono iuxta receptum Ecclesiæ morem; nam in Missis priuatis solet, & debet infundi à sacerdote, solemnis vero solet interdum infundi à diacono vel subdiacono, præmissa benedictione datâ à sacerdote.

Contra id quod dicitur mixturem esse præcepti ecclesiastici Obijciunt: cap. 24. Conc. Charthag. 3. ubi dicitur: *In Sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aquæ mixtum*; quod repetitur in synodo Trullana can. 32. ubi dicitur à beato Chrysostomo traditum, ut aqua vino misceretur, quando sacrificium peragi oportet, & additur: *hic ordo diuinus traditus seruatur.*

Resp. omnia quorundam solutione, Concilium Carthaginense & alia ita loqui, non quod velint Christum præcipisse aquæ cum vino permixtio-

nem, sed quod suo exemplo citra præceptum tradiderit.

Obijciunt 2. Cypr. qui epist. 63. censet hanc mixturem esse præcepti diuini.

Resp. concedendo, sed dico probabiliorem esse opinionem quæ ex Flor. & Trident. & alijs colligitur; præsertim, cum Cypranus id videatur trahere ex ea persuasionem, quæ videtur existimare aquæ mixturem esse necessariam necessitate Sacramenti.

ARTICVLVS VIII.

Utrum aqua debeat in magna quantitate apponi?

NEGAT.

Notauidum in Concil. Triburiensi cap. 19. tradi, vt in calice Domini duæ partes sint vini, tertia verò aquæ, sed Concilium hoc Prouinciale eâ in parte minus probatur, nam iuxta Florent. *modicissima aqua adhiberi debet*, & si quidem tanta copia adhibeatur, vt vino præualeat, vel illud equeat quoad vim, graue peccatum committitur, cum id obstat valori Sacramenti. si enim præualeat, ita vinum corrumpitur, vt eius substantia non remaneat; si æquet, poculum non potest dici vinum, atque adeo Sacramentum redditur irritum, idem dicendum si miscetur eâ copiâ, vt merito possit dubitari, num substantia vini remaneat, vel poculum possit absolute dici vinum, quia tunc Sacramentum redditur dubium. videri potest c. *pernicius*, de celebratione Missarum, modicum igitur aquæ est admiscendum, vt sit extra omne dubium vinum præualere & quantitate & virtute, & quo vinum est debilius, eò minus aquæ debet admisceri.

D V B I V M

Utrum si aqua ante consecrationem non fuerit in vinum conuersa, conuertatur per consecrationem in sanguinem?

MISSIS duabus opinionibus quâs commemorat Innoc. 3. cap. *cum Marthea*, de celebratione Missarum §. *quasi missi*, quarum vna asserbat per consecrationem calicis vinum quidem conuertere in sanguinem, aquam verò in phlegma: altera verò asserbat aquam retinere speciem & substantiam propriam.

Dux de præsentī questione sunt Theologorum sententia.

Prior negat posse immediate conuertere in sanguinem, sed asserit verti solum mediatè, si nimirum vini actiuitate in illud mutetur; ita sentiunt communis antiqui Scholastici. Alensis 4. parte summæ quaest. 32. membro 3. art. 2. Secus dist. 11. quaest. 6. §. *ad secundam questionem*; Richard. eadem dist. art. 3. quaest. 3. Palud. quaest. 1. art. 6. conclus. 5. Gab. in can. Missæ lectione 35. littera O. Sotus dist. 9. quaest. 1. art. 6. §. *ut verò*, & plures recentiores, quorum aliqui existimant esse certissimâ alij ita loquuntur, vt quodammodo indicent erroneum esse aliud sentire, nam quidâ recentior, postquam huius sententiæ argumenta in oratione aulæ doctoralis proposuisset, ita cõcludit: *nunc igitur indicare, si libet: aliud certè indicare non potestis, quàm quod credidit, & custodit semper sacra Romana Ecclesia nō aliter aquam in sanguinem transsubstantari*

Obiectio 2. Cypranus. Resp.

Resp. neg. 56. Conc. Triburi.

Cap. Cum Marthea.

Dux in proposito sententia. Prior negat.

Alens. Scot. Rich. Palud. Gabr. Sotus.